

SERENISSIME ELECTOR, DOMINE
Clementissime:

Duo sunt, quorum TUÆ SERENITATI, hujus
Instituti mei nomine, præloquij loco, rationes
reddendas duxi. Unum, cur post HOMERUM
Iliada, hoc est, post REGIOMONTANUM, FINCKIUM,
RHETICUM, PITISCUM, LANSBERGIUM, VIET-
TAM, CLAVIUM, NEPERUM, Trigonometriam
conscripserim: alterum, cur sub TUÆ SERENIT.
nomine. Utrumq; mihi causæ persuaserunt plurimæ.
Expertus siquidem sum, & meo opte exemplo &
aliorum, omnem in rebus Mathematicis vel saltem
potissimam difficultatem oriri ex neglectâ Trigonometriâ.
Me enim quod attinet, memini me Adolescentem,
antequam in familiaritatem KEPLERI penetrarem
(quod quidem summæ felicitatis loco habeo
& habiturus sum) cum jam tum naturali quodam im-
petu ad cultum studiorum Mathematicorum raperer,
solo hoc nomine impeditum. Sive enim animus me in-
vitabat ad Lectionem PTOLEMÆI, COPERNICI, NONII
Salaciensis, TYCHONIS, MESTLINI & aliorum; sive ipse-
met vires libraturus Circinũ & Regulã tentabam: nus-
quam mihi sufficiebam. Ex unâ parte videbam citari
REGIOMONTANUM & THEODOSIUM, qui ite-
rum cum reliquis ad EUCLIDEM respiciebant: ex
alterâ, nec hunc in promptu habebam, ob concisiores
privatæ rei rationes, nec è tam ubere mesle Propositionum
num